

1707

C O D I C E S

1708

christiane sit verum et credibile menti sane. 5.) Vtrum Summum bonum immutabile sit creator. et conseruator singulorum encium vniuersi. Nomen Autoris minio praescriptum per Κακοζήλον quendam, ut alias, extritum est; ego in Hussum propendeo.

III. fol. 57. p. 2. *Posicio de vniuersalibus Magistri Stanislai. Incipit: Quia nonnulli modernorum contra res uere communes et vniuersales adeo sunt inflammati &c. Ad calcem: Tractatulus de vniuersalibus magistri Stanislai de Znoyma. compilatus ab eodem Anno domini M^o. CCCC^o. 8. in studio pragensi. Sed adhaeret discussio sequentis Quaesiti: Vtrum vniuersalia habeant solum nude pure esse in intellectu, uel preter operationem intellectus creati subsistant in propria forma.*

IV. fol. 70. *Istud est capitulum tertium Libri de trinitate beati Theodorii episcopi contra Sabellium qui dicit tantum unam esse personam in diuinis sicut et naturam. Initium: Quid est natura et substantia, et quid est de (redundat?) subsistentia atque persona. Natura et substantia in nullo significationum (significatorum?) differunt nisi nomine. Natura enim substantia est, subsistentia et persona in nullo significatorum differunt, nisi nomine. Subsistentia enim persona est &c. Finis: Inuenitur enim ab eis, qui non temptant eam, et apparet non discredentibus sibi. Tam sententia quam phrasae Capituli huius Theodorum Abucara vel Carae in*

Palaeestina, vel Carrarum in Mesopotamia Episcopum Iohannis Damasc. discipulum Sec. VIII. Scriptorem loquuntur, de quo erudite disquirunt Fabricius Bibl. gr. Vol. IX. p. 176. et Basnagius in edit. Lect. ant. Canisti T. II. P. 2. p. 464. Non legitur illud inter Opuscula Theodori XLII. a Jac. Gretsero primum Ingolst. 1606. edita, neque Tractatu illo περί ένωσης και σαρκωσης comprehenditur, quem Parisiis 1685. 8. publici juris factum Basnagius l. cit. p. 474. repraesentavit. Itaque άνεκδοτον est, textu graeco primitivo dudum perditio, aut hodieum delitescente.

V. fol. 73. *Collectanea Theologica in Alphabetum redacta, quibus alia e PP. et Jure Can. absque ordine lecta succedunt.*

Codici praetexta est Membrana mutila, qua Wenceslaus Patriarcha Antiochenus et Boemiae Regis Cancellarius vi potestatis sibi a Bonifacio IX. anno ejus nono (1398.) factae Wenceslao cuidam Regimen cuiusdam ecclesiae confert. Plura colligi inde nequeunt.

CCCCXXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. 895 XV. Folior. 299. f. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus continet Partem potissimum vasti Operis Iohannis Hussi, ut plura suadere videntur, licet Cod. DLII. nomen Matthiae Parisiensis praefixum sit, dicti de Regu-

*Regulis veteris et noui testamen-
ti.* Praefatio orditur a Pauli ad
Thes. I. c. 2. verbis: *Ecce ex
Deo et coram Deo loquimur non
quasi hominibus placentes &c. Ista
uerba erant in illo tempore beati
Pauli dominica caritate urgente
eum domini ihesu ex corde puro
et conscientia bona et fide non
ficta &c.* Succedit deploratio vi-
tiorum Cleri, protestatio de men-
te sincera in conscribendo hoc
opere, et amore suo in sacras
Literas, qui locus posterior lec-
tu dignus est, postea subdit: *Et
singulariter ac notabiliter me et
ista scripta et omnia mea humili-
ter et deuote subicio matri mee
pijssime Romane ecclesie et ipsius
(vel ipsis) doctoribus uenerabilibus
atque sanctis, obsecrans coram pio
ihesu, ut probent me et dicta fac-
taque mea omnia et singula temp-
tent usque finem. Et comparatum
me exhibeo sequi et obedire, quo-
niam scio quod illa via est regia
certissima et secunda, quam ambu-
lans non confundar in eternum.*
Demum de Opere praesenti ita:
*Continet quinque libros principa-
les, quorum primus et principaliter
de communicatione in dei ec-
clesia corporis et sanguinis domini
nostri ihesu in sacramento, simili-
ter et de discretionem spirituum
principaliter in doctoribus et in pro-
phetis, illum enim principaliter et
solum illum primum intendebam
sub breuitate scripsisse, debinc pius
ihesus mihi dilatauit et apperrens
hostium me repleuit suis copijs,
vt duos libros post, puta secun-
dum et tertium scripserim de in-*

*dicio et discrecione verorum et fal-
sorum christianorum et primo pseu-
do prophetarum et doctorum et de-
binc alios duos libros scilicet quar-
tum et quintum solum et simplici-
ter de communicatione in christi
ihesu ecclesia deifici et supertre-
mendi veri corporis et sanguinis
ihesu christi et intitulauit istum li-
brum (i. e. totum Opus) regulas
aut de regulis veteris et noui te-
stamenti, quoniam per eas et pro
eis est ordinatus. Hi dein V. Li-
bri in Tractatus, in Distinctio-
nes, in Capita dispescuntur, quin
tamen per decursum huic Con-
spectui fideliter adhaereatur. L.
I. c. 1. ita incipit: *Carissimi no-
lite omni spiritui credere &c.* I.
*Job. 4. Ab exordio creature erant
in genere humano, qui filij dei di-
cerentur et alij filij hominum &c.*
L. II. initium habet fol. 42. p.
2. ita: *Nunc restat inquirendum
aliquas regulas de nouo testamen-
to pro discretionem spirituum in pro-
phetis et maxime in ypocrisi mo-
dernorum christianorum falsorum
&c.* L. III. orditur fol. 72. p.
2. ita: *Postremo investiganda est
et prosequenda vna generalis re-
gula pro directione vite hominum
et cognitione sui ipsius &c.* Huic
Libro ad fol. 89. insertae sunt
pro frequenti Communionem Sen-
tentiae *Job. Horlewan Doct.*
*Theol. Francisci Canon. et Pa-
rochi Wratislav. Nicolai Wend-
lar Decani S. Crucis Wratisl.*
Matthaei de Cracovia Doct. Theol.
Univ. Prag. Adalb. Ranconis Doct.
*Theol. Paris. Davidis de Augu-
sta O. M. Abbatis anonymi Con-**

ventus *Aulae Regiae, Militii* illuftris Praedicatoris Prag. praeter anteriores *Simonem de Cassia, Bonaventuram* &c. A fol. 146. p. 2. fenfim ad *Antichristum* delabitur Autor, et fol. 156. de *Clemente VII. five Roberto Gebenn.* ait: quod eciam super summum apostolicum et verum papam scilicet *Vrbanum VI. ausus est se eleuare* &c. Et mox: vacasse illum toto tempore suo fere per *XII. annos* (ab a. 1378. ad an. *Urbani emortualem 1389.*) rixe et contencioni, ut singuli clament et contentiose dicant ad singulos: *Ego cephe, ego pauli, ego clementis, ego vero urbani* &c. Fol. 157. de Cultu Imaginum haec legas: *Decreuit insuper quod sicut de precando, quod in lingua boemica sonat modlyty sye, et sic docere populum collegialiter aby sye obrafom lyde modlyly* &c. Fol. 221. Autor Operi suo inseruit totum Tractatum *Guilelmi de S. Amore*, cui titulus: *De Periculis novissimorum Temporum*, a nobis jam Cod. *DXLIV.* et saepius relatum, eumque Praeloquio instruxit, quod incipit: *Sequitur hic tractatus quem universitas gloriosa magistrorum parisiensium et (in) sacra pagina compilavit* &c. Et paullo post: *Quod quidam papa qui erat de ordine fratrum minorum infirmauit aut condempnauit illum plenum utilitate ecclesie libellum uel abiiecit, Ego contraire illi non audeo, ne videar os meum ponere contra celum, illud tamen opinor, quod magis hoc fecit amor et zelus*

(Zelus) *ordinis fratrum minorum et aliorum super mendicitate constructorum* &c. Ubi noto, Libellum *Guilelmi* non recte tribui toti Universitati, neque ejus condemnatorem *Alexandrum IV.* de ordine fratrum minorum fuisse. Libellus porro in calce variat ab edit. *Constant.* rectius *Parisina 1632. 4.* caret enim tota Peroratione, quae ibi incipit p. 72. *Cum igitur veritas divina scriptura sit infallibilis* &c. ejusque loco habet *Quadragesimum secundum* signum Pseudoapostolorum, quo caret Editio. Atque ex hactenus indicatis quidni probabiliter referri possit Opus *de Regulis V. et N. T. ad Job. Hussum?* Haec vero probabilitas conualefcit e *L. III. Distinct. 12.* quae nobis fol. 261. p. 2. inscribitur: *De abhominacione in loco Capitolum quod dissensio sacerdotum in ecclesia est abhominacio et causa abhominacionis et de pace mala Osee quinto capitulo, et incipit: Audite hec sacerdotes et attendite domus israel* &c. Nam ista *Distinctio* legitur in edit. *Opp. Husfi supracit. T. I. p. 473.* repetita ex edit. *Argent. 1524.* quam *Otho Brunfelsius Mart. Luthero* dicarat. Juvat ejus verba e praevia Epistola adscribere. *Quomodo vero in nostras manus venerit, quia prolixa est fabula, hoc satis dictum sit, de libris Huttenicis interceptis mihi esse redditum, et quod bona fide, vetustissimisque exemplaribus testari possumus, supposititium non esse. Plura super iis neque expedit, neque*

1713

P O L E M I C I

1714

que tutum est: utinam vero integre fuisset assignatus. Nam erat adhuc alius (Codex) ejusdem nominis, ad quem ille remittebat frequenter, qui deperit: quo dici non potest, quantum caruerimus ægre ad restitutionem. Nam multa non cobærebant, multa vetustate nimia erant abrasa, quædam sic scripta ab librario, ut nesciremus, quid vellent. Unde coacti sumus, ubi obscuriora erant loca, asteriscos in margine signare, ubi defuisset aliquid, vel desiderabatur, binos asteriscos. Nolimus enim temere aliquid vel abradere, vel inculcare, de quo prius certissimi non eramus. — Praeterea totum illum splendorem, quem vides, in capitum et librorum digestionem nos indidimus. Nam prius perpetua fluebat oratione &c. Splendorem certe Inscriptionibus Brunfelsianis conciliant intrusi Monachi, Sacerdotes Papistici, Papa Bestia cornuta &c. et per belle conspirant cum verbis Auctoris, quibus hic Caput nobis 29. Brunfelsio 28. claudit: *Nam puto coram christo ihesu deo piissimo quem summe obsecro et continue ut non me permittat decipi a malignis spiritibus, puto inquam humiliter me subiciens et eidem et ecclesie sue sacrosancte romane; ut ipsa uideat et iudicet omnia et singula que hic scribo vel unquam sum scripturus, Puto igitur quod hic posita de bestia de adoracione eius multa uel omnia concordent in tempore et numero et materia cum illis que ibi traduntur de locustis.* Ita re-

petit Auctor, quae supra in Praef. de Romana Ecclesia dixerat. At religiosus vir, qui professus erat nolle se temere aliquid vel abradere vel inculcare, aut fortasse jam ante illum Huttenus, totam illam περιποίησιν, quam caractere rotundo expressimus, aut abrafuit, aut subtrahit non sane magna ingenuitatis suae commendatione. — Quanquam porro Formula mox adlata, ut Codicem nostrum terminat, ita et ipsum Librum III. terminare videatur, multis tamen ille Capitibus in edit. excurrit. Quid vero Libro III. et IV. factum sit, haecenus ignoro, nisi quis dicat, eos idem esse cum Tractatu de Corpore Christi, qui edit. Opp. Hussi cit. T. I. p. 202. legitur, quamvis admodum succinctus sit. Comparet haec Lector ad ea, quae Codici DLII. adnotata sunt, et tum inter Matthiam Paris. et Job. Huseum discernat.

CCCCXXXVI.

Codex chartaceus boh. lat. 907 Sec. XV. Folior. 180. 4. non ab una manu perscriptus et rubricis enotatus sequentia complectitur: I. Duas Job. Hussi Epistolas, quarum prior latine redita extat Opp. edit. 1715. T. I. p. 72. num. 2. scripta sub ipsum illius abitum ad Concilium Constant. In hac Epistola legitur: *Agirt wipravilsem sie naciestu bez kleitu*, latine: *Et jam itineri me accinxi sine Comitatu vel Conductu*; quod, nescio qua fide, Interpres